

solvitur. — Fundamentum Soti ex dictis solutum est; jam enim ostendimus quomodo per solum lapsum ætatis puerilis non fuerit transactum tempus, in quo pater potest uti sua potestate circa vota illi subjecta, unde quoad illa semper manet persona subjecta respective, id est, secundum opera illius ætatis, licet secundum præsentis ætatis actum non sit ita subjecta. Exemplum autem quod de servo afferebatur, non est simile, quia votum servi non est directe irritabile in seipso, sed solum ratione materiæ; et ideo mutata materia, auferitur omnis imperfectio ejus, propter quam solam erat irritabile, ut alibi diximus.

14. *Sexta conclusio: votum religionis aut castitatis a filio pubere factum nullo modo potest a patre irritari.* — Dico tandem tertio, votum religionis aut castitatis esse validum, nec irritabile a patre directe vel indirecte, tam simplex quam solemne, a filio pubere factum, etiam invitis parentibus. Est sententia communis Doctorum omnium, S. Thomæ, 2. 2, q. 88, art. 8 et 9; et infra, q. 189, art. 2; Cajet., Aragon., eisdem locis, aliorumque Theologorum in 4, d. 88; præsertim Dur., q. 1; Richar., et Supplem. Gabr., Summistæ, verb. *Votum*, et verb. *Religio*, ubi Sylv., *Religio*, 2, q. 15, et *Votum*, 3, q. 6; Navar., c. 12, n. 64; Summa Confessorum, lib. 1, tit. 8, q. 30, ubi refert Innocentium, Hostiens. et alios. Idem habent expositores in c. 30 Numer., Nicol. de Lira, Abulens., Carthus. et alii, et habetur expresse in c. *Si in qualibet*, et c. *Puella*, 20, q. 2, ubi Turrecrem. et alii. Sumitur etiam ex c. *Ad nostram*, ubi Doctores, de Regularib., et ex l. *Deo nobis*, § Hoc etiam, C. de Episc. et cler.; et in Auth. *de Sanctiss. Episc.*, c. 41. Ratio vero satis constat ex dictis, quia tale votum ex parte voventis perfectum est, et ex parte materiæ non præjudicat parenti, quia in his quæ spectant ad statum propriæ personæ, et præsertim in ordine ad divinum obsequium, filius habet plenum dominium sui ipsius. Hic vero duplex occurrebat cum hæreticis disputatio. Prior, an liceat vel expediat hominibus in juvenili ætate perpetuam castitatem vovere, aut religionem profiteri etiam ex voluntate parentum. Posterior est, an filiis in quacumque ætate liceat ingredi religionem invitis parentibus. Hæretici enim hujus temporis utrumque negant; vera autem et sana doctrina utrumque affirmat et approbat, per se loquendo, et remotis extrinsecis et accidentalibus impedimentis. Sed de hac re infra in proprio loco disputandum est; legatur

Waldens., libro tertio de Sacramentalib., tit. 9 c.; et Bellarm., libro secundo de Monach., c. 35 et 36.

15. *Ultima conclusio: Prælati non potest irritare votum religionis arctioris a subdito factum.* — Ultimo, inquiri posset hoc loco de potestate quam habent prælati religionum erga subditos ad irritandum votum religionis, si forte illud emittant. Circa quod, dubium tantum esse potest circa votum transeundi ad arctiorem religionem, an illud irritare valeant. Sed de hoc jam tractavimus superiori tomo, tract. de Voto, variis in locis, videlicet lib. 3, c. 6, n. 23, et lib. 6, c. 7, n. 9, et c. 10, n. 16, ibique cum communi Doctorum sententia diximus, non habere potestatem prælatos ad hoc votum irritandum. Videri etiam potest Sanch., in Decal., lib. 4 de Voto, c. 33, n. 2.

CAPUT VII.

QUODNAM SEU QUALE RELIGIONIS VOTUM SIT RESERVATUM QUOAD DISPENSATIONEM SEU COMMUTATIONEM.

1. *Votum religionis ab Ecclesia non approbata non est Papæ reservatum.* — Supponimus ex tomo præcedente, tract. de Voto, lib. 6, c. 21, quinque esse vota Summo Pontifici reservata quoad dispensationem et commutationem, unumque ex illis esse votum religionis. Nunc vero inquirimus quinam religionis modus sub hac reservatione comprehendatur; supponendum vero est, ex dictis libr. 2 hujus tractatus, nomen religionis hic proprie accipi pro statu vero et proprio religionis, qui, ut talis sit, debet esse ab Ecclesia approbatus; alioquin non est vera religio, ut supra diximus, ac propterea omnia vota pertinentia ad alios vivendi modos, quantumvis honestos et laudabiles, non sunt vota religionis, et ideo non sunt reservata, sed per Episcopum dispensari possunt.

2. *Votum religionis dupliciter accipi potest.* — Secundo est observandum, votum religionis dupliciter accipi posse. Primo, pro voto, seu votis quibus status ipse religionis quasi formaliter constituitur, ut sunt vota paupertatis, castitatis et obedientiæ. Secundo, pro simplici promissione assumendi talem statum. Et utroque modo verum est votum religionis esse Papæ reservatum; tamen, juxta communem sensum Doctorum, in hoc puncto præcipue accipitur votum religionis posteriori modo; nam de aliis votis, quoniam solemnia regulariter

sunt, non solum certum fuit semper esse reservata Summo Pontifici, sed etiam adhuc aliqua controversia est, an ipse possit in illis dispensare, quam infra suo loco tractabimus. Quia vero nunc aliquis status religionis per vota simplicia constituitur, indubitato tenendum est, etiam illa vota esse reservata, et a solo Summo Pontifice, vel ex ejus expressa commissione dispensabilia, quod in votis coadjutorum et scholarium Societatis manifestum est ex Bullis Pontificiis, et ex aliis quæ infra suo loco afferemus, ex quibus etiam constabit, hanc fuisse perpetuam Ecclesiæ consuetudinem, ut privati Episcopi non possint ex vero et proprio religioso facere non religiosum, quod tamen fit quando in votis illis, quibus religiosus formaliter constituitur, dispensatur.

3. *Conclusio: votum religionis sive generaliter, sive specialiter factum, est reservatum.* — Atque hinc ulterius colligimus, loquendo de voto religionis alio modo magis usitato pro simplici promissione assumendi statum religiosum, illud votum generaliter accipiendum esse pro promissione cujuscumque status religiosi, dummodo proprie et simpliciter religiosum constituat; duobus enim modis potest tale votum fieri. Primo, generatim de religione nullam in particulari determinando; secundo, determinate de hac vel illa religione, et utroque modo tale votum reservatum est sine ulla restrictione. Et ratio est, quia utrumque absolute est de statu religionis. Nam quælibet species continet in se genus, unde votum talis religionis votum religionis est. Et e converso, genus non est extra species; et ideo votum religionis absolute factum in aliqua determinatione impleri debet. Et ideo omnis religio, quæ sufficiens est ad implendum illud generale votum, est etiam sufficiens ut votum de illa in particulari factum sit etiam reservatum.

4. *Votum ingrediendi Societatem in particulari, est reservatum.* — Ex quo infero primo, votum ingrediendi Societatem in particulari esse reservatum, non solum quia etiam in ea religione fit solemnis professio, ad quam potest illud votum religionis terminari, verum etiam si definite fiat de statu aliquo hujus religionis, qui solis votis simplicibus formatur et consummatur. Ratio est, quia etiam tale votum est simpliciter vere ac proprie votum religionis, sicut status ille vere ac proprie religiosus est. Item quia votum religionis absolute factum sufficienter impletur assumendo illum statum. Imo votum alterius religionis,

in qua solemnis professio fit, juxta Pontificum concessionem et declarationem, sufficienter impletur ingrediendo Societatem, et prædicta vota in ea emittendo, ut constat ex compendio privilegii ipsius Societatis, verb. *Communitatio*, 2. Quod si quis objiciat, ante natam Societatem votum religionis reservatum tantum fuisse illud, quod continebat promissionem in ordine ad professionem solemnem religionis, respondetur, etiamsi hoc demus, nihilominus Ecclesiæ usum et institutionem declarasse, id non fuisse ob necessitatem juris, sed facti, id est, non fuisse quia formalis ratio religionis id postularet, sed quia fortasse non erat verus ac proprius religionis status, qui solis votis simplicibus constitueretur. Instituto autem hoc statu, votum religionis ex se illum etiam comprehendit. An vero ante Societatem fuerit in Ecclesia hujusmodi status, infra suo loco disputabimus.

5. *Votum religionis clericorum militantium est reservatum.* — *Votum religionis militaris Sancti Joannis est reservatum.* — *Votum religionis militaris in aliis religionibus militaribus non est reservatum.* — Secundo intelligitur ex dictis, an votum assumendi religionem militarem sit reservatum, necne; id enim maxime pendet ex alia quæstione, an ille status sit vere et proprie religiosus, non solum secundum primam institutionem, sed prout nunc est in usu. Illa vero nunc prætermittitur (infra enim occurret commodior locus), in præsentem distinguendum censeo; habent enim hæc religiones duas partes, clericorum, scilicet, et militum. Quod ergo attinet ad statum clericorum, non dubito quin votum religionis de illis in particulari reservatum sit, quia illi sunt veri religiosi, veramque professionem faciunt, et vota etiam solemnia emittunt. Item quia votum religionis absolute factum in qualibet illarum sufficienter impletur, nisi de intentione voventis aliud constiterit, ut recte Cordub., in Summ., q. 148. De militibus autem subdistinguendum. Aut enim loquimur de militibus Sancti Joannis, et si qui sunt alii qui ita profitentur religionem, ut uxorem valide ducere non possint; et votum talis religionis in particulari reservatum esse censeo, quia existimo tale votum esse verè et propriè religionis, et quia absolutum votum religionis etiam posset impleri illa religione militari suscepta, nisi intentio voventis obstet; quamvis oppositum censeat Corduba supra, in quo non loquitur consequenter. Nam infra, q. 178, docet talem esse religiosum statum

horum militum, ut non solum impediatur matrimonium contrahendum, sed etiam dirimat contractum, contra Sotum, qui sine ullo fundamento oppositum dixit, in 4, d. 27, q. 4, art. 4, in fin. Ex hoc autem fundamento colligit ipse in priori quæstione, votum religionis impleri sumendo clericalem habitum Sancti Joannis; ergo idem dicere debuit de habitu militari. Quare non dubito quin votum talis religionis reservatum sit. Quod etiam tenuit Aragon., 2. 2, q. 88, art. 11; Azor, tom. 1, lib. 13, c. 4, q. 4; Emman. Roder., in Expositione Bullæ, n. 123. De voto autem sumendi militarem habitum in aliis religionibus, verisimilius censeo non esse reservatum, quia nec votum religionis, absolute factum, in illis impleri censetur, nec secundum communem existimationem tale votum censetur esse religionis simpliciter. Nec propterea nego has religiones militares, etiam quoad milites ad matrimonium habiles, esse veras religiones, quantum ad essentiam religionum; hoc enim infra examinandum est: sed solum assero habere illum qualemcumque statum religionis ita admixtum statui sæculari, et temporalibus curis ac sollicitudinibus, ut talis status, prout est in talibus personis, non possit comprehendere nomine religionis simpliciter dictæ quoad observantiam votorum, et quoad exercitium vitæ religiosæ; et consequenter per solum illum non satisfieri generali voto religionis; quod etiam ostendit communis praxis, et consuetudo; nullus enim timoratus, qui votum religionis emisit, putat se implere illud assumendo hujusmodi habitum militarem.

6. *Dubium in hac materia.* — *Prima assertio: votum ingrediendi religionem et perseverandi, est reservatum.* — Uterius vero dubitari potest circa alios modos votendi religionem, an sub hac reservatione comprehendantur. Nec disputo nunc de modo votendi conditionato vel absoluto; nam de hoc jam dictum est tractatu præcedenti, d. lib. 6 de Voto, c. 22. Sed intra latitudinem voti absoluti potest esse duplex modus votendi religionem: unus est votendo tantum ingredi religionem, alter est votendo perseverare, et mori in religione; hos enim duos modos communiter distinguunt auctores ut diversos; et de posteriori quidem manifestum est esse reservatum, quia est perfectum in illo ordine, quantum esse potest ex vi modi ac perpetuitatis objecti. Unde si illud non esset reservatum, nullum votum religionis intelligi posset reservatum. De voto autem priori modo facto potest esse nonnullum du-

bium, quia illud videtur solum esse votum temporale, quod non est reservatum, sicut de castitate diximus. Antecedens patet, quia votum illud solum obligat ad ingrediendum religionem, non vero ad perseverandum in illa; vel si ad hoc aliquo modo obligat, solum est sub conditione, si non displicuerit, vel non sit nimis onerosa religio, aut aliquid hujusmodi. Unde etiam ex hac parte reservatum non est, saltem ante impletam conditionem.

7. *Secunda assertio: votum ingrediendi tantum religionem, etiam et reservatum.* — Nihilominus pro certo habendum est, etiam votum illud esse reservatum; ita sentiunt omnes Doctores. Nam, licet hoc in particulari non disputent, tamen hoc ipso supponitur, quoad reservationem nullam esse differentiam inter illa duo vota, quod est manifestius, juxta sententiam eorum qui putant, illa duo vota non habere effectus distinctos quoad obligationem, quod sentit Sot., lib. 7 de Just., q. 2, art. 2, ad 3. Idem vero dicendum est, etiamsi teneamus hoc votum minus obligare quam votum perseverandi. Quod magis videtur sentire D. Thomas 2. 2, q. 189, art. 4. Et sequuntur Cajet. ibi, et communis Doctores. Ratio est, quia etiam tale votum est votum religionis simpliciter et absolute, quia in objecto illo nulla conditio a votente apponitur; simpliciter enim votet religionem, quod est votere esse religiosum; hoc autem ex se perpetuum est. Si autem in illo voto subintelligatur aliqua conditio, solum est illa quam jus ipsum apponit, scilicet, esse religiosum præmissa probatione, et ex illa, vel post illam prudenter judicando sibi religionem congruere. Conditio autem jure ipso imposita non sufficit, quominus votum absolute et simpliciter tale sit, nam quod secundum jus faciendum promittitur, simpliciter et absolute promittitur. Et hoc probat etiam consuetudo, in qua hæc reservatio fundatur; ordinarie enim votum religionis fit tantum hoc modo, et nihilominus semper censetur reservatum.

8. *Tertia assertio: votum religionis, expresse factum sub intentione ingrediendi, et probandi religionem, et exeundi, si non placuerit, est adhuc reservatum.* — Ex quo infero quod, licet tale votum expresse fiat sub intentione ingrediendi et probandi religionem, et exeundi, si non placuerit, nihilominus votum esse reservatum, quia totum hoc non excedit conditionem a jure ipso positam. Unde D. Thomas supra significat hoc votum non esse diversum a voto religionis absolute facto, sed solum ex-

placite continere quod in alio erat implicite. Sed quid si aliquis voveret religionem ingredi sumendo habitum novitiorum cum expressa intentione, ut post susceptum illum habitum non sit magis obligatus ad professionem faciendam, quam si absque voto eundem habitum suscepisset? Quidam putant tale votum esse vanum et nullum, quia ingredi religionem sine animo perseverandi non est laudabile, sed potius est nonnullum peccatum, quia tale propositum est contra finem illius ingressus. Sed in hoc distinctione opus est; fateor enim ingredi religionem cum proposito absolute exeundi ante professionem, quicquid de religione judicet post experimentum ejus, esse actum inordinatum, et contra rationem, et aliquo modo injuriosum ipsi religioni. Unde si quis voveret ingredi illo modo, conjungendo, scilicet, illa duo in objecto voti, votum esset illicitum et nullum, saltem quoad alteram partem, scilicet, habendi in ipso ingressu propositum exeundi. Nam quoad aliam, scilicet, quoad obligationem ingrediendi, videtur esse validum tale votum, quia illæ sunt duæ partes, vel duo actus, qui per accidens conjunguntur, in quibus locum habet illa regula: Utile per inutile non vitiatur, sicut communiter dicitur de voto eundi Hierosolymam modo aliquo indecente, aut impossibili. Nam tunc, secluso modo, videtur obligare ad substantiam actus; de quo in superioribus dictum est. In præsentem autem probabile est tale votum esse nullum, quia intentio votentis esse videtur obligare se ad illum modum ingrediendi, et non alias. Et quoad rem præsentem spectat, si validum esset, profecto non esset reservatum, quia revera non est votum religionis, sed solum induendi pro aliquo tempore habitum religionis. Longe tamen diversum est votum supra positum, scilicet, ingrediendi religionem absque ulla obligatione perseverandi in illa; nam hoc sine dubio est bonum et validum votum; non enim excludit propositum perseverandi, sed obligationem, quod longe diversum est. Imo non videtur multum diversum hoc votum, ab illo quod est de religione absolute, vel ab illo quod est cum expressa conditione probandi et experiendi an religio expediat. Solum in hoc ultimo modo declaratur, quod hæc probatio et experientia futura sit tam libera, tamque sine obligatione vel scrupulo, ac solet esse in his qui ingrediuntur sine voto, quæ conditio non est illicita, nec imprudens, quia ille modus ingrediendi religionem licitus est; ergo obligare se ad illum

præcise non est malum; est ergo obligatorium, ut non impediatur majus bonum, sed potius ex se possit ad illud conferre. Quare etiam censeo hoc votum esse religionis simpliciter, atque adeo reservatum, quia est absolute de ingressu religionis, retento integro privilegio juris, quod non minuit veram rationem voti religionis. Nec potest dici tale votum esse temporale, quia, licet positive non includat perpetuitatem, non tamen excludit illam, imo, quantum ex se est, tendit ad illam; et hanc doctrinam tenet Paludanus, in 4, dis. 38, quæstione quarta, articulo quarto; nam, licet sæpe ibi appellet hoc votum religionis temporale, tandem concl. 5, in fin., concludit esse reservatum Papæ, et fatetur inter perpetua computari, quia potest esse perpetuum, et ad hoc tendit. Refertque praxim Romanam esse, ut nec summus Pœnitentiarius in eo possit dispensare ordinaria potestate, qui tamen non minorem potestatem habet quam Episcopi. Quod sequitur Antonin., 2 p., tit. 14, c. 2, § 9, *Votum*, 4, vers. 6.

CAPUT VIII.

UTRUM HOC VOTUM QUOAD GRADUM ARCTIORIS RELIGIONIS SIT ITA RESERVATUM, UT NEC AB EPISCOPO, NEC AB ALIO SUMMO PONTIFICE INFERIORI DISPENSARI SEU COMMUTARI VALEAT.

1. *Ratio dubitandi proponitur.* — Nunc dubitatur an votum de aliqua religione stricta sit secundum se totum reservatum, vel possit quoad gradum per Episcopum dispensari, scilicet, ut in religione laxiori impleatur. Ratio dubitandi esse potest, quia hæc vota non tantum sunt reservata quoad dispensationem, sed etiam quoad commutationem, ut suppono ex communi sententia et communi consuetudine. Sed illa est commutatio quædam adjuncta dispensatione; ergo non potest fieri auctoritate inferioris circa votum reservatum. Unde Navarr., Comment. 4 de Regular., n. 10, ait tale votum de aliqua religione determinata non posse commutari in religionem etiam æqualem, nisi a Summo Pontifice, vel de ejus auctoritate. Quod ipse probat, quia superior religionis non potest talem commutationem facere, quia nondum habet jurisdictionem in eum qui tale votum emisit. Quæ ratio quoad dispensationem ad laxiorem efficaciter probat, tam de superiore illius religionis, de qua factum fuerat votum, quam alterius, in quam desideratur commutatio, nisi fortasse ad hoc